



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118820**

§. 142. Polycarpi Lyseri interitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII. alibi excusæ prostant ejus defension-  
A. C. 1610. nes Philosophiæ Angelico-Thomasti-  
 cæ præter tractatum de valore & fru-  
 ctu Missæ: Præterea in sacris literis  
 sese versatissimum probabat Ludovicus  
 de Sotomajor, egregium Ordinis sui  
 decus: scripserat enim eruditissimos  
 commentarios in Cantica, in duas epi-  
 stolas D. Pauli ad Timotheum, necnon  
 in Psalmos quosdam, librum Job, &  
 Evangelia Lucæ ac Joannis, obiit die  
 vigesima nona Maji anno ætatis suæ  
 octogesimo quarto.

## §. CXLII.

*Polycarpi Lyseri decessus.*

*Mens. Theol.*  
*Wirtemb.*  
*pag. 1.*  
*Adam vit.*  
*Theol.*

Nonnullos etiam ex Lutheranis Scri-  
 ptoribus hoc anno mors abstulit,  
 quos inter præcipuum locum sibi ven-  
 dicat Polycarpus Lyserus, qui cura  
 Lucæ Osiandri Vitrici sui ad Tubingen-  
 sem Academiam missus, vigesimo quarto  
 ætatis suæ anno Doctoratus lauream  
 obtinuit: triennio post ab Augusto E-  
 lectore Saxonico ad Cathedram Theo-  
 logicam & Pastorum Wittenbergen-  
 sem vocabatur, eo ipso tempore, quo  
 quidam Lutherani Doctores propter  
 Crypto Calvinismi suspicionem officiis  
 suis

suis amoti sunt: quocirca ipse alieno Sæc. XVII.  
 periculo cautior factus, Concordiæ li- A.C. 1610.  
 brum tueri toto studio adlaborabat,  
 vehementer tamen impugnatus a Joanne Major Melanchtonis fautore, cujus opera Lyserus nil tale cogitans suo Officio ab Electore Christiano abactus est. Brunswigam igitur confugere compulsus, ibidem sexennio hæsit, tandem defuncto Christiano I. Electore Wittembergam reversus, ac Dresdæ ad Aulici Præconis officium selectus, per septendecim omnino annos acres cum Michaele Hubero, & postmodum cum Gretsero contentiones habuit, quibus nonnisi ejus mors, quæ die vigesima secunda Februarii contigit, finem imposuit. Præcipuum illius Studium fuit Harmoniam Evangelicam a Chemnitio cæptam profesequi, quam tamen ipse nec absolvit nec secundo conatu profecutus est, ita potius optandum foret, ut hic labor feliciorum operarium ac Successorem invenisset. Refertur quoque de eo, quod, cum in Saxoniam primo venisset, Exorcismo Lutherano valde offensus fuerit, dein vero consuetudine emolitus, haud amplius repugnavit. Scripsit *Historiam Passionis Dominicæ, resurrectionis, Ascensionis & missionis Spiritus S. Strenam contra Calvinistas: Scholam,*

Sæc. XVII. lam, fornacem, Colossum, epulum, &  
 A. C. 1610. cedrum Babilonicam adversus Catholicos,  
 Præfationem & defensionem in Societatis  
 Historiam Hasenmiüllerianam contra Gvet-  
 serum, præter alia opuscula adversus  
 Crellium, Huberum, Gleselium &c.  
 Celebrant etiam Lutherani ejus com-  
 mentarium in Genesin: obiit die vigesi-  
 ma secunda Februarii annos natus  
 quinquaginta octo.

## §. CXLIII.

*Emerici Katonæ, & Joannis Pappi interitus.*

*Czwiting.  
 Hung. li-  
 terat.*

**I**nterim naturæ debitum solvit Emeri-  
 cus Katona natione Hungarus, qui  
 variis in locis Pastoris munere functus,  
 nonnisi triginta octo annos natus die  
 vigesima secunda Octobris e vivis ex-  
 cessit. Huic adjungimus Joannem  
 Pappum Lindaviæ natum, qui inter  
 Lutheranos insignis Theologus audi-  
 tur: Hic idem anno Christi millesi-  
 mo quingentesimo nonagesimo ab Argen-  
 tinenfi Senatu ad Emmedinganum col-  
 loquium præsentate Jacobo Badensi Mar-  
 chione cum Pistorio Catholico Docto-  
 re habitum ablegatus est, qui tamen  
 melius mansisset domi, a suo Antago-  
 nista